

Cap. LXXX. Rubrica de processione fienda et eius ordine observando. R.ca.

Ordinamus quod, ad reverentiam Dei et Virginis Marie, Patronorum nostrorum et omnium sanctorum et ad perpetuam conservationem huius civitatis Tergesti, quando- 5
cunque fit processio per clerum ecclesie Tergesti, unus vel una pro qualibet domo ire teneantur cum ipsa processione et asociare sanctas reliquias que portantur in ipsa processione.

Cap. LXXXI. Rubrica de tenporibus in quibus debent vinee laborari ad medietatem. 10

Taliter ordinamus quod quicumque deinceps acceperit ad laborandum ad ¹⁾ medietatem ¹⁾ vel aliter aliquam vineam unam vel plures, debeat et teneatur ipsas vineas putare et facere putari per totum mensem februarii, provenare abarare aquaria purgare per ¹⁾ medium mensem marcii, inprimare 15
vero ¹⁾ sive ¹⁾ sapare prima vice per totum mensem madii, ochare vero sive sapare secunda vice usque ad festum sanctorum Har- // machore et Fortunati, sub pena unius marche 282 A
frx. comuni persolvenda pro quolibet conductore contrafatiente, et admittendi fructa partis sue, que cedat locatori sive domino 20
vinee sine aliqua remissione. ¶ Et quod dominium teneatur et debeat reddere ius locatoribus et conductoribus terrarum locatarum ad pastinandum ad medietatem secundum pacta que insimul fecerint et contraxerint secundum tenorem suorum instrumentorum. 25

Cap. LXXXII. Rubrica de fontibus per comune purgandis.

Statuimus quod duo magni ²⁾ fontes positi extra Ianuam Riburgi, de quibus accipiuntur aque tempore vindemiarum, purgentur sive mudentur per comune et de denariis camare 30
comunis.

¹⁾ Aggiunta marginale. ²⁾ magne.